

in quo nimirum Iudaei solemnī ritu ligna in Tēplum asportabant ad usum altaris holocaustorum. Quo die hoc fieret incertum est. Seldenus putat diē vigesima prima mensis *Ab*; alii vero existimant diē vigesima prima sequentis mensis *Elul*. Item alia sunt festa recentius instituta quae Iudaei nunc observant, et in suo calendario recensent.

XI. Hebraeorum festis addi possunt *ieiunia*. Ex his quidem unum tantum a Moyse praescriptum fuit in solemnī die expiationis. Verum post captivitatem babilonicam alia ieiunia praescripta fuerunt in memoriam excidii Ierosolymae ac Templi, alia quoque deinceps in singulis fere mensibus inducta fuerunt quae in calendario hebraico notantur. Praeterea solebant Hebraei sponte sua ieiunium saepe adhibere vel in peccatorum expiationem, vel ad beneficium aliquod a Deo impetrandum, vel devotionis causa: Phariseus ille in Evangelio gloriabatur quod ieiunaret bis in sabbato seu in singulis hebdomadis, quae fortasse Pharisaeorum consuetudo fuit.

XII. *Kalendarium Hebraeorum*. Haec omnia quae de festis ac ieiuniis Hebraeorum diximus per ordinem digesta inveniuntur in *kalendario Hebraeorum*, de quo mentio fit in Talmude, et in ipsa Scriptura Zach. VIII, 19, IX, 21 seq. non extat tamen nunc kalendarium nisi posteriori aetate confectum a Rabbis, praesertim illud quod vocant *Meghillah Thaarith*. Illud vero exscripserunt et adnotarunt plures ex christianis auctoribus imprimis Genebrardus in fronte sui *Comment. in Psalmos*, Bern. Lamy in *Apparatu Biblico*, Bartolucci in *Bibliotheca magna Rabbinica* tom. I, Calmet in fine sui *Dictionarii Biblici*; qui etiam (excepto Calmeto) praeter festa et ieiunia in singulis mensibus celebranda adnotare solent etiam sacras lectiones Legis et Prophetarum, seu *Pharascias* et *Haphtaras* singulis sabbatis legendas. Ad hos auctores lectorem remittimus. Multi etiam doctas observationes in Kalendarium Hebraeorum ediderunt ut Io. Seldenus in opusculo: *De anno civili veteris Ecclesiae seu reipublicae Iudaicae*, et Xaverius Mattei in *Kalendario Hebraeorum illustrato*, qui tamen recentiorum Iudaeorum Kalendaria plus aequo parvi pendere videtur.

CAPUT III.

DE PERSONIS SACRIS

Quamvis omnes Hebraei populus electus, hereditas Domini, et gens Deo sacra dicerentur (Ex. XIX, 6, XXII, 3, Deut. VII, 6, XIV, etc.), eoque nomine inflati ceteras gentes despicerent aliquando, et odio haberent (Eph. II, 14, 13, Matth. IX, 10, 11, Luc. V, 8, Gal. II, 13-17), quaedam tamen determinatae personae inter illos speciali modo Deo consecratae erant, et sacris ministeriis deputatae, de quibus nunc dicendum. Ac primo quidem de ordinariis ministris dicemus, qui omnes ad tribum Levi pertinebant, ac dividebantur in Levitas, Sacerdotes, et summum Pontificem, deinde de aliis ministris superadditis, quemadmodum fuerunt olim servi sacri Nathinaei dicti, et ministri Synagogarum, tum vero de extraordinariis personis sacris seu prophetis; demum coronidis gratia quaedam adiciemus de religiosis sectis Hebraeorum.

ARTICULUS I.

DE MINISTRIS ORDINARIIS EX TRIBU LEVI

Tota tribus Levi specialiter Deo sacra fuit: Deus enim sibi elegit filios Levi in locum primogenitorum totius Israel (Num. III, 12, 13, 40, VIII, 46) ut eius cultui operam darent, ac plebem in religione instruerent, ideoque iussit nullam eis specialem portionem terrae Chanaan assignari, sed quadraginta octo urbes cum agris et hortis in variis tribubus sparsas, simulque decimas fructuum et animalium eis solvi ad eorum sustentationem, praeter oblationes et victimas, quibus alebantur cum sua ministeria in Tabernaculo, vel Templo obirent. Qui ex familia Aaronis erant sacerdotali munere ornabantur, et ex his unus summum pontificatum obtinebat, ceteri vero aliarum familiarum Gersonitae, Caathitae, Meraritae inferioribus ministeriis addicti erant, et simpliciter *Levitae* dicebantur. Breviter de singulis.

§. I. De Levitis, eorumque officiis.

I. *Levitarum consecratio* peculiari et solemniori ritu a Moysse facta est, prout legitur Num. VIII, 5-15; scilicet primum aqua abluti, et rasi duos boves cum farina et oleo ad altare obtulerunt coram Tabernaculo Foederis, ibique manuum impositionem acceperunt a principibus familiarum, et a Moysse aqua lustrali aspersi sunt, et manibus impositis super victimas, ipsae oblatae sunt, alter scilicet bos pro peccato, et alter in holocaustum Domino: atque ita in perpetuum divinis ministeriis mancipati fuerunt.

II. *Levitarum variae classes*, earumque munia accurate describuntur Num. III et IV. Scilicet eorum officium erat sacerdotibus inservire, circa Tabernaculum vel Templum excubias agere, Tabernaculi tabulas, vectes, aulaea, et vasa per desertum asportare: deinceps etiam munus cantandi, et diversa instrumenta pulsandi eis conceditum est, et sub regibus etiam munus plebem instruendi, causasque iudicandi. Initio quidem in tres familias divisi erant iuxta tres Levi filios, a quibus descendebant, Caath, Gerson et Merari: singulis autem diversa onera portanda assignata sunt: Caathitis vasa sanctuarii velamentis obvoluta, Meraritis maiores Tabernaculi partes, ut tabulae, columnae, vectes etc., Gersonitis cortinae, operimenta, velum, funes etc.: hinc pro vario laboris genere ad ministerium admittentur vel ab anno XXX usque ad L, vel a XXV usque ad LX (Num. III, 1-36, IV, 1-11, VIII, 24 seqq.). Recentiori autem aetate cum necessitas graviorum laborum cessasset ministeria sua iam ab anno vigesimo auspicantur (1 Par. XXIII, 24-27, 1 Esdr. III, 8). Rex David novam Levitarum divisionem induxit: scilicet Levitarum 38000 quatuor classes fecit, nempe 24000 ministros Sacerdotum, 4000 ianitores et excubitores, 6000 indices et genealogiarum scriptores, 4000 musicos: musicis autem rursus in classes viginti quatuor distribuit, quae per vias suas munere fungebantur (1 Par. XXIII, 3-5, 24-32, XXIV, 20-31, XXVI, 1-32). Omnes isti ordines et classes suos principes seu praefectos habebant (Num. III et IV, 1 Par. etc.). Ianitores et excubiae modo bini, modo quaterni, aut etiam seni munus obibant, et a sabbato ad sabbatum ministerio fungebantur. In conviviis, quae in templo identidem instituenda erant post sacrificium, itemque in conviviis, quae in aliis urbibus religionis causa parari solebant, Levitae advocandi

erant (Deut XII, 48, 49). Peculiaris vestis Levitis lege quidem praescripta non erat, deinceps tamen eis indumentum, seu quasi superpellicem byssinum assignatum fuit, quo in ministerio suo obeundo ornabantur (1 Par. XV, 27, 2 Par. V, 12, Ios. Antiq. VIII, 3, 8).

§. II. Sacerdotes, eorumque officia.

I. Posterii filiorum Aaron (Eleazari et Ithamar) in sacerdotium assumpti fuerunt, ex quibus unus ex familia Eleazari primogeniti olim haereditario iure in summum Pontificatum ipsi Aaroni succedebat (Lev. X, 1-12, 1 Par. XXIV, 1 seqq.). Primum autem dicemus de inferioribus Sacerdotibus, postea de Summo Pontifice.

Sacerdotes utriusque familiae praedictae decursu temporis ita multiplicati fuerunt, ut David eos in 24 classes distribuerit, quarum 16 Eleazari familiae, et 8 Ithamari, singulae autem suos principes habebant, qui in Evangelio *principes sacerdotum* vocantur (1 Par. XXIV, 3-19, Luc. I, 5, et 9, Matth. II, 4).

II. *Consecratio Sacerdotum* describitur Ex. XXIX, 5-9, Lev. VIII, 2, quae similis est consecrationi Levitarum, nisi in eo quod sacerdotes suis vestibus sacris induti erant coram altari, et pro iis in sacrificium mactati sunt iuvenes, et duo arietes, quibus antea sacerdotes consecrandi manus imposuerant, mox vero sanguine alterius arietis eorum auris dextera, et manus pedisque dexteri pollex illitus fuit: praecipuum vero discrimen in hoc erat quod sacerdotes oleo sacro sanguine victimae commixto aspersi sunt, et partes determinatas victimarum a Moysse acceptas Deo obtulerunt, atque ita munus suum auspicati sunt. Conditiones in sacerdotibus requisitae erant: 1° ut ex familia Aaronis descenderent, quod si certo ostendere non possent a sacerdotio arcebantur (2 Esdr. VII, 64, XII), 2° immunitas a deformitate vel vitio corporis (Lev. XXI, 16 seqq.), 3° abstinencia a vino et omni liquore inebriante *שִׂכָרָה* *sicera* (Lev. X, 7-11), 4° aetas triginta annorum, quamvis postea ab anno vigesimo sacerdotio functi fuerint (2 Par. XXXI, 17).

III. *Sacerdotum officia* haec erant: 1° praecipuum munus erat sacrificia et oblationes Deo offerre primum in Tabernaculo, postea in Templo, hoc enim proprie in idea sacerdotii continetur (Exod. XXIV, 5-6). 2° Incensum adolere in Sancto super altare Thymiamatis (Ex. XXX, 7, 8, Num. XVI, 40): quod ita sacerdotum proprium erat, ut si quis alius id facere tentasset severissime a Deo

puniretur, ut accidit Core eiusque asseclis (Num. XVI, 31 seqq.) et Azariae regi (2 Par. XXVI, 16-21). 3^o Panes propositionis mutare, candelabri lucernas continere, et alia ad Sanctum pertinentia obire (Lev. XXIV, 5 seqq.). 4^o Denique Legem custodire, ac populo legere, plebem instruere, consultationibus respondere, et in religionis legisque causis iudicium ferre (Lev. X, 11, XIII, Num. V, 12 seqq. Deut. XVII, 9, seqq. etc). Alia quoque minoris momenti officia sacerdotum propria in Levitico et Deuteronomio memorantur. His positivis officiis sacerdotes per singulas classes alternis per hebdomadam fungebantur, et sorte singulis, ut videtur, assignabatur quid muneris quisque obire deberet, ut innuitur Luc. I, 9. His accedebant negativa officia. Nam Sacerdotibus vetitum erat: 1^o uxorem ducere mulierem impudicam, vel a marito repudiatam (Lev. XXI, 7), 2^o contaminari *super mortuo*, idest funeribus interesse, aut luctum agere ob mortem cuiuscumque, exceptis parentibus, filiis, fratre et sorore virgine, 3^o vinum, aut siceram bibere, et matrimonio uti durante sacerdotali ministerio.

IV. *Vestes sacerdotum* quibus in sacris tantum functionibus induebantur descriptae habentur Ex. XXVIII, et Ios. Antiq. III, 7, n^o 1-3, licet descriptio haud ita plena, et clara sit, ut omnia accurate definiiri possint. Hae vestes erant: 1^o femoralia byssina, seu linea, 2^o tunica linea manicata et inconsutilis, 3^o cingulum, seu balteus latitudine unius palmi, et acu pictus coloribus hyacinthino, purpureo et coccineo, qui bis corpus ambebat supra lumbos, et sub pectore nectebatur ita ut extremitates usque ad talos descenderent (Ex. XXXIV, 27-29), 4^o mitra seu cidaris (hebr. טַנְתְּקָה) quae formam variasse videtur decursu temporis, si conferantur Ex. XXVIII, 9 et 40, XXIX, 9, Lev. VIII, 13, 17 cum Ios. Ant. III, 7, 3. Tibialia et calcii vetiti erant, nam sacerdotes discalceati suis ministeriis fungi debebant, ut colligitur ex variis Scripturae locis (Ex. XXVIII, coll. Ex. III, 5, 2 Reg. XV, 30, Ezech. XXIV, 17).

§ III. *De Summo Pontifice.*

I. Summus Pontifex seu כֹּהֵן הַגָּדוֹל *Sacerdos magnus* apud Hebraeos praecipuus religionis administer erat, et ceteris sacerdotibus dignitate et auctoritate praecerat. Quare eius persona in maxima veneratione semper fuit (1). Primus summus Pontifex electus

(1) In N. T. distinguitur Summus Pontifex nomine *Pontificis* vel *Pon-*

et consecratus fuit Aaron frater Moysis, eoque mortuo Eleazar natu maior ex duobus filiis qui supererant, atque ita in familia Eleazari mansit summus pontificatus usque ad Heli, qui ex familia Ithamar Pontifex creatus est. Sub Saule et Davide in eadem familia pontifices sibi successerunt donec Salomon reiecto Abiathar pontificatum transtulit in Sadoc ex familia Eleazari, quae ita summam hanc dignitatem recuperavit, ac retinuit usque ad captivitatem Babylonicam. Post captivitatem vero de una in aliam familiam pontificatus transit, nec amplius haereditario iure, sed electione vel populi, vel principum, vel Synedrui, quandoque etiam malis artibus aut arbitrio, ut aliquando sub Herode factum est (1). Consecratio Summi Pontificis describitur Ex. XXIX, et non differt a consecratione aliorum sacerdotum nisi in eo quod Aaron suis pretiosis vestibus pontificalibus indutus erat, et in eius caput sacrum oleum largiter effusum est (Ex. XXIX, 5-9, Lev. VIII, 2); qui ritus videtur repetendus fuisse in singulorum Pontificum inauguratione.

II. *Summi Pontificis officia*, praeter illa quae cum aliis Sacerdotibus communia habebat, haec erant specialia. 1^o Huic uni licebat semel in anno ultra velamentum secundum penetrare in Sanctum Sanctorum, ibique incensum adolere, et sanguinem victimae spargere in die magno Expiationis, ut supra dictum est (Ex. XXX, 40, Lev. XVI, 2 seqq., Hebr. XI, 7 seq.). Quod quidem ex citatis locis Scripturae, et communi Hebraeorum traditione deducitur, quamvis pauci aliter senserint (2). 2^o Ad eum pertinebat Deum consulere

tificis magni, Ἀρχιερεὺς μέγας, a principibus sacerdotum, Ἀρχιερεῖς, qui singulis sacerdotum classibus praecerant. Paulus in Epist. ad Hebraeos cap. V et seqq. ut Christi sacerdotii excellentiam extollat eum summo Pontifice excellentiorem esse ostendit quemadmodum in praecedentibus eum et Moyses et Angelis superiorem esse dixerat.

(1) Calmet in Diction. Bibl. sub voce *Sacerdotium* exhibet *Literculum chronologicum Summorum Sacerdotum Hebraeorum* ab Aaron usque ad Phanniam, sub quo Ierusalem a Romanis eversa est: numerantur omnino pontifices 81.

(2) S. Epiphanius putavit summum Sacerdotem ter in anno in maioribus solemnitatibus Sanctum Sanctorum penetrasse, S. Augustinus autem (Quaest. 133 in Exodum) opinatus est quotidie pontificem id fecisse ad adolendum thymiama, idemque Theophylactus sensit (Comm. in Luc. I): sed hoc sententia defendi nequit. Hi quidem decepti fuerunt ex eo quod puta-

per Urim et Thummim aliis pontificalibus ornamentis adiecta, et accepta a Deo responsa reddere (Ex. XXXVIII, 30, 1 Reg. XXIII, 9 seqq., XXX, 7, Eccli. XLV, 12). Praeter haec duo praecipua, 3° Summi Pontificis munus erat semper inferiores sacerdotes ac levitas vigilantiam et auctoritatem exercere. Nonnulli etiam addunt: 4° Ad eum spectasse proprio iure praesidere synedrio magno; quod tamen a multis negatur, quamvis re ipsa plerumque idem esset Synedrii praeses ac Summus Pontifex. (Vid. Seldenum: *De Synedriis et Praefecturis Hebraeorum* lib. II, cap. 13 seq.). Huic tantae dignitati singularis sanctitas respondere debebat; quare praeter leges aliis Sacerdotibus impositas summo Pontifici non licebat ducere uxorem nisi virginem (Lev. XXI, 14), quare a Lege Leviratus exemptus erat (Lev. XXV, 5 seqq.) (1): item luctum agere ei non licebat neque in morte parentum, aut filiorum (Lev. XXI, 11).

III. *Vestes sacrae* summi Sacerdotis in duas classes dividi possunt, quae Hebraei vocare solent *vestes albas*, et *vestes aureas*: hisce insignioribus utebatur in ordinariis ministeriis per annum, illis autem planioribus semel tantum in die magno explanationis. (Lev. XVI, 4). Erant autem omnino sequentes. 1° *Femoralia linea*, ut in aliis sacerdotibus. 2° *Tunica linea*, seu byssina (hebr. כְּתֹנֶת שֵׁשׁ) quae secundum Iosephum talaris erat, et angusta ita ut presse corpori adhaereret. 3° *Balteus* hebr. אֲבִנֵיט, seu zona ex lino, cui multa ornamenta acu intexta erant ex lana hyacinthina, purpurea, et cocinea; huic zonae Rabbinii tribuant 32 cubitos longitudinis, tres autem digitos latitudinis (2).

verint altare thymiamatis intra Sanctum Sanctorum situm fuisse, quod verum non est; hinc communis caeterorum Patrum, et interpretum sententia est ea quam hic proposuimus.

(1) Utrum Summus Pontifex uxorem ducere debuerit de genere suo, seu sacerdotali, ut affirmat Philo (Lib. II, de Monarchia) pendet ex sensu Lev. XX, 13, 14, quem locum aliter legunt LXX interpretes, aliter textus Masoreticus, et versiones Orientales cum Vulgata Latina (V. Calmet ad h. l.). Iosephus Flavius (Antiqq. III, 10), addit eum non potuisse uxorem repudiare, et Talmudistae (*Massechet Soma*) non potuisse alteram uxorem ducere. Sed haec ex Lege Moysi non constant.

(2) Vide Calmet Comm. in Ex. XXVIII. In citato capite Exodi, et in capite XXXIX minuta descriptio vestium Pontificalium habetur, quae qui-

4° *Tunica* hebr. כִּיעִיל quae licet in versione LXX vocetur *πρόδηρα*, idest *vestis talaris*, verosimilius tamen ad talos usque non descendebat, et tota hyacinthini sive coerulei coloris erat (Ex. XXVIII, 31): huius tunicae inferiori limbo appensa erant alternatim tintinnabula aurea, et *mala punica ex hyacintho, et purpura et cocco bis tincto* (ib. 33, 34), quae quidem Hieronymus, Talmudistas sequutus, numerat 72, totidemque tintinnabula.

5° *Ephod* hebr. אֶפֶוד quod LXX verterunt per *Επωμίδα*, idest, *superhumeralis*, qua voce utitur Vulgata latina, licet saepe hebraicam vocem *Ephod* retineat. Erat autem amiculum ex bysso retorta, et filis aureis, laneisque purpurei, hyacinthini, et cocinei coloris contextum, manicis, ut multis videtur, instructum, quod super tunicam hyacinthinam imponebatur, nec ultra dimidiam corporis partem pertingebat. In utroque humero astringebatur fibula aurea lapide onychino ornata (hebr. שֹׁהַם) in quibus lapidibus insculpta erant nomina duodecim tribuum, sex scilicet in unoquoque lapide (Ex. XXVIII, 6-12). Ad pectus autem secundum Rabbinorum sententiam cingulo astringebatur ita ut duae eius partes simul ante pectus coniungerentur, quod dicunt significari Ex. XXVIII, 8 per vocem הָשֵׁב, quam tamen Vulgatus interpretes reddit *texturam*.

6° *Rationale* hebr.: הַשָּׂן הַמִּשְׁפָּט seu *pectorale Iudicii*, de quo Hieronymus in cita Epistola ad Fabiolam scribit: « Hebraice vocatur (הַשָּׂן) *Rhoscen*, graece autem λογιον, nos Rationale possumus appellare, ut ex ipso statim nomine scias mysterium esse quod dicitur. » LXX Interpretes vocant λογιον τῶν χριστῶν, et vulgata latina similiter *rationale iudicii*. Erat autem potius ornamentum quam vestis eiusdem materiae ac Ephod, formae quadratae semicubitalis, seu potius cubitalis, nam duplicatum erat (Ex. XXVIII, 13-30, XXXIX, 8-19). Ante pectus suspensum gerebatur et per catenulas, annulosque aureos superhumerali affigebatur vitta hyacinthina. In parte exteriori rationalis affixae erant quadruplici serie duodecim gemmae quarum nomina recensentur ib. 17-20 de quorum tamen praecisa significatione innumerae fere sunt interdem in priori capite faciendae praescribuntur, in altero factae referuntur. De his quoque literaliter et mystice pertractat S. Hieronymus in Ep. 64 (alias 128) ad Fabiolam, et in Ep. 29 (alias 130) ad Marcellam.

pretum sententiae: his gemmis, quae auro inclusae erant, insculpta erant nomina duodecim tribuum (ib. 24).

7° *Urim et Thummim* aliud ornamentum erat rationali adnexum, quo assumpto sacerdos divina responsa petebat (Ex. XXVIII, 30 Lev. VIII, 8, XXVII, 12 Deut. XXXIII, 8). Hebraicae voces אֲרָמִים וְחֻמִּים in Vulgata redduntur: *doctrinam et veritatem*, quemadmodum etiam LXX verterunt: τῆν ἀληθειᾶν καὶ τῆν ἀγγελίαν. Quid autem proprie fuerint impossibile est definire: alii dicunt fuisse ipsas gemmas Rationalis et Ephod per quas Pontifex futura portendebat; alii potius gemmas distinctas, vel aliud ornamentum. Spencerus putat fuisse imagunculas quasdam aureas similes Teraphim Chaldaeorum, quod tamen admitti nequit; alii gemmarum torquem ex collo pendentes; alii, imo plerique, credunt fuisse ipsa haec verba: *Urim et Thummim* (quae doctrinam et perfectionem significant) rationali inscripta vel in-texta, seu potius in separata lamina incisa quae rationali inserenda erat (1). His itaque adhibitis Summus Pontifex Deum consulabat, et responsa ab eo accipiebat, ut in citatis Scripturae locis dicitur (2).

8° *Tiara*, seu *cidaris* hebr. מצנפת *Mitznepheth* capitis tegumentum erat tum Pontificis summi, tum omnium sacerdotum (Ex. XXVIII, 4-40, XXIX, 6), sed differentia quaedam exigua in eo videtur fuisse quod tiara summi pontificis paulo altior esset, et quod super eam ornamentum ex velo cerulei, et albi coloris superpositum esset, ut innuit Iosephus Antiq. lib. III, 7, §. 6 seq. (3).

(1) V. Cornelium a Lapide Commentar. in Exod. XXVIII, ubi pluribus hanc sententiam defendit. Ceterum de *Urim et Thummim* plura specialia opera scripta extant: praecipua sunt Buxtorffii, Polemanni, Spenceri, Ribondealdi (contra Spencerum) quae habentur collecta in *Thesouro Ugolino* to. XII, quibus addi potest I. B. Carpovii opus: *Christiana de Urim et Thummim* coniectura. Lipsiae 1782.

(2) Maltorum sententia est, hoc privilegium in Summo pontifice non perseverasse nisi usque ad aedificationem primi Templi: deinceps enim nusquam mentio occurrit de responsis hac ratione impetratis, sed Prophetae tanquam extraordinarii Divinae voluntatis interpretes semper occurrunt. Hebraei autem hoc saltem pro certo tenent post captivitatem Babylonicam, stante secundo Templo, oracula per *Urim et Thummim* non amplius reddita fuisse, quod etiam colligi posse videtur ex 1 Esdr. II, 62 et 1 Mach. IV, 45 seq.

(3) En verba Iosephi: « Accessit demum ei (Summo Pontifici) convolutae byssi pileus, qualis fuit ceterorum sacerdotum antea memoratus: super ipsum

Rabbini opinantur tiaram sive Pontificis sive sacerdotum formatam fuisse ex vitta byssina sexdecim ungarum pluries circa caput obvoluta ad instar cassidis. Sed eius formam accurate determinare impossibile est. Praecipuum vero ornamentum Tiarae summi pontificis adnexum erat

9° *Lamina aurea* (hebr. צִיעֵ הַזָּהָב *ציע הנהב*) vitta hyacinthina tiarae alligata et super frontem Pontificis descendens cui insculpta erant verba קְדוֹשׁ לַיהוָה *Sanctum Domino* (Ex. XXVIII, 36 seqq.). Haec quidem inservire debebat tum ad reverentiam Pontifici conciliandam, tum ad ipsum commonendum de sacris officiis quibus mancipatus erat.

His omnibus vestibus et ornamentis, quae *aurea* dicebantur, indutus apparebat summus sacerdos cum munera sua obiret in Tabernaculo vel in Templo, excepto die solemnium expiationis, in quo solas *vestes albas* induere debebat, scilicet 1° femoralia lineam, 2° tunnicam lineam, 3° balteum totum lineum, 4° cidarim, seu tiaram lineam (Lev. XVI, 4).

IV. Quamvis unus tantum esset Summus Pontifex, hic tamen plerumque suum habebat *vicarium*, quem Rabbini *Sagan* appellant, qui eius vices gereret si forte contigisset summum Pontificem in aliqua solemnitate aut impeditum, aut aliqua legali immunditia alligatum inveniri. Hoc officium Sagan nonnulli putant perpetuum fuisse, et adnexum habuisse ius succedendi in pontificatum, alii vero ad tempus, aut etiam pro singulis casibus alicui sacerdotum tributum fuisse. Fortasse utrumque factum est in diversis temporibus, ac personis. Quod enim vicarius perpetuus, et permanens summo Pontifici semper adesset nullo argumento probari potest, quod vero aliquando id factum fuerit, apparet ex iis Scripturae locis ubi duo summi sacerdotes nominantur, ut ex. gr. sub Davide

vero et alius erat consutilis et hyacintho variatus. Gingit autem (frontem) et aurea corona triplici ordine fabricata, e qua exurgunt calyculi aurei, similitudine illos referentes, quos videmus in herba nobis saccharo dicta, sed quam graeci rei herbariae periti hyoseyamum appellant..... atque huic quidem similis facta est corona ab occipitio ad utraque tempora, frontem autem non ambebat ephiclis (ita enim vocatur) sed lamina aurea, quae sacris caracteribus Dei nomen incisum habet. Praedicta corona aurea addita fuisse creditur in postrema aetate a Simone Machabaeo eiusque successoribus, qui simul Sacerdotes summi, et principes seu reges fuerunt.

Sacerdotes *Sadoc* et *Abiathar* (2 Reg. XV, 35, 4 Par. XV, 41, 3 Reg. I, 7-8), sub postremis regibus Saraias dicitur *Sacerdos primus* et *Sophonias sacerdos secundus* (4 Reg. XXV, 18, Ier. LII, 24), et Iohannes Baptista praedicationem auspiciatus fuisse dicitur *sub principibus Sacerdotum Anna et Caipha* Luc. III, 2, scilicet sub Caipha qui erat *pontifex anni illius*, et Anna eius socero, qui eius *Sagan*, seu vicarium agebat. Cum his vero non sunt confundendi *principes sacerdotum* ἀρχιερεῖς; vel *Summi sacerdotes* in libris Esdrae, in Evangeliiis et in Actis Apostolorum frequenter nominati, qui, ut supra innuimus, nihil aliud erant nisi principes, seu capita viginti quatuor familiarum sacerdotalium. Praeter istos nominatur etiam in Scripturas *Sacerdos castrensis*, cuius officium erat exercitum ante praelium exhortari, ut legitur Deut. XX, 2-4, qui speciali consecratione ad hoc officium eligebatur, ut Talmudistae referunt: de quo vide dissertationes duas in *Thesaurò Ugolini* Tom. XII.

ARTICULUS II.

DE RELIQUIS MINISTRIS

Praeter ministros a Lege designatos de Tribu Levi, alii deinceps additi sunt, nempe servi sanctuarii, Nathinaei, et ministri synagogarum. De his postremis nonnulla diximus in capite praecedente: nunc pauca de reliquis.

I. Servi Sanctuarii initio hi erant qui voto se addixerunt Sanctuario, vel a parentibus, aut a dominis huic ministerio mancipati fuerant: de his sermo est Lev. XXVII, 1-8, qui etiam pretio redimi poterant, ut ibidem dicitur. Iosue horum classi adiecit *Gabaonitas* ob fraudem qua stragem evaserunt, Ios. IX, 23-29. Porro horum officium erat ligna caedere, aquam comportare, aliaque humiliora officia peragere ad usum Sanctuarii.

II. *Nathinaei*, hebr. נתינין seu *donati*, initio quidem appellati fuerunt ipsi Levitae (Num. III, 9, VIII, 17 et 49, Deut. XXV, 32), deinceps vero homines servitio templi addicti, qui post captivitatem spectabilem classem inter Iudaeos constituebant, et caeteris de populo praeferri solebant (1 Esdr. II, 34, 38, VIII, 20, 2 Esdr. X, 29, XI, 3). Quenam vero eorum officia fuerint certo

non constat: certum tamen est eos ad officia sacerdotum et Levitarum admissos non fuisse, ideoque humilioribus tantum ministeriis functos fuisse, aut iis quae ad externum templi decorem et munditiam aut rerum materialium administrationem pertinebant: ita nonnulli existimant Salomonem eorum opera usum fuisse in templi aedificatione, ut innui videtur 4 Par. II, 47 seqq., XXII, 2. (De his vide dissertationem Dan. Ploffingerii in Tomo XIII *Thesauri Ugolini*).

III. *Stationarii* hebr. אנשי פקוד, seu *virii stationis* in Scripturis quidem non nominantur, sed consuetudine inducti sunt, ut practice impleri posset Lex, quae praecipiebat ut sacrificia offerentes propria manu victimam adducerent, et mactationi adstarent. Cum igitur publicum aliquod sacrificium pro populo offerretur, cum non posset totus populus adstare eligebantur quidam qui populum representarent in eo ritu, et hi *Stationarii* dicti sunt. Talmudistae referunt hosce viros ex qualibet classe Israelitarum electos fuisse, et in varias sectiones distributos, quarum singulis *principes stationum* praerant.

ARTICULUS III.

DE PROPHETIS ALIISQUE PERSONIS DEO SACRATIS

I. *Prophetae* apud Hebraeos imprimis aetate Regum specialem classem personarum sacrarum officiebant, et peculiaribus officiis fungebantur praesertim in negotiis ad religionem spectantibus ex extraordinaria inspiratione a Deo accepta. Prophetae a Deo ipso eligebantur ex omnibus hominum classibus, et speciali etiam ritu plerumque consecrabantur, genus quoque vitae austerum sectabantur a tumultu civico, et frequentii hominum consortio separati. Discipulos quandoque habebant, saltem antiquiores et celebriores prophetae, ut Elias et Elisaus, quibuscum communem vitam debebant coenobitarum more. Sed quoniam de his quantum satis est diximus in *Introd. Critica* Par. I, Sect. II, Cap. II, sufficiat haec innuisse.

Inter alias sacras personas extra tribum Levi speciatim nominandi sunt *Assidaei*, *Nazaraei*, *Rechabitae*, quibus etiam addi possent *Essenii*, et *Therapeutae*.

II. *Assidaei* nominantur saepe in libris Machabaeorum, scilicet 1 Mach. II, 42, VII, 13, 2 Mach. XIV, 6, ubi tamen non dicitur quinam fuerint, aut unde originem habuerint. Quoniam autem vox ista *Assidaei* hebr. חסידים *pios*, vel *sanctos* significat, communiter creditur eos fuisse congregationem quamdam hominum religionem ac pietatem specialiter profitentium, quod quidem ea quae in citatis locis de iis referantur profecto confirmant. Nonnulli (ut Serarius, Tirinus, Lamy) putant eos diversos non fuisse ab Essenais de quibus inferius dicitur, Drusius autem (in opusculo de *Hasidaeis*) ostendere conatur Assidaeos olim appellatos fuisse, qui postea *Pharisaei* dicti sunt.

III. *Nazaraei* hebr. נזירים ita vocati sunt a verbo נזר quod est *separari*, vel *consecrari*, quia voto se Deo consecrabant, alii quidem in perpetuum, ut Samson, et Iohannes Baptista speciali Dei iussu ad id vocati antequam in lucem ederentur, alii vero ad tempus, quo elapso peculiari ritu ad portam Tabernaculi, vel Templi a voti vinculo solvebantur. Nazaraei ob votum debebant: 1° a vino et sicera (idest quolibet potu inebriante) se abstinere, 2° barbam et comam non radere. Paulus ad declinandam invidiam Hebraeorum qui eum de contemptu Legis accusabant votum Nazaraeatus emisit, et cum aliis quinque Nazaraeis se in templo praesentavit (Act. XXI, 26 seqq.).

IV. *Rechabitae* (a Rechab eorum patre ita dicti) in Scripturis uti pii et sancti viri celebrantur, quamvis de eorum origine et institutis pauca referantur. A vino et sicera abstinere ut Nazaraei: possessionibus, ac praediis carebant, et procul ab urbibus in campis sub tentoriis quasi monasticam vitam agebant. Quando exercitus Nabuchodonosor Ierusalem obsidione cinxit, Rechabitae, relictiis campis, in urbem se receperunt, ubi a Ieremia oblatum vini poculum recusarunt, atque ita rigidae observantiae exemplum praebuerunt, ut narratur Ier. XXXV, 4 seqq.

ARTICULUS IV.

DE RELIGIOSIS IUDAEORUM SECTIS

Coronidis loco quaedam hic innuenda sunt de variis sectis quae in postrema aetate apud Iudaeos ortae sunt, et tempore Christi et Apostolorum maxime vigeant, sunt autem sectae *Pharisaeorum*, *Sadducaeorum*, *Esseniorum*, *Therapeutarum*, *Herodianorum*, *Hemerobabitarum*.

I. *Pharisaei*, quos nonnulli putant ab antiquis Hasidaeis originem traxisse, ut supra vidimus, praecipuam Iudaeorum sectam constituebant aetate Christi, sed et antea in epocha Machabaica celebres fuisse apparet ex Iosepho Flavio Antiq. XIII, 10, 5 seq. ubi narrat Iohannem Hircanum cum in sua iuventute Pharisaeorum sectae addictum fuisset ad castra Sadducaeorum transiisse, atque inde molestias, et incommoda familiae suae creasse, et ibidem cap. V, n. 9 affirmat sub Ionatha Machabaeo floruisse tres praecipuas sectas Pharisaeorum, Sadducaeorum et Esseniorum.

Pharisaeorum secta ceteris potentior erat cum ad eam multi viri nobiles, ac docti, plures quoque illustres foeminae pertinerent, et affectata morum severitate apud populum in magna veneratione essent; quo favore elati saepe tumultus excitarunt, et ipsis principibus ac regibus formidabiles evaserunt. Ad theoreticam doctrinam quod attinet Pharisaei Providentiam Dei admittebant (quamvis Iosephus dicat eos *fatum* admisisse, sed benigne explicandus est), animae humanae immortalitatem, et corporum resurrectionem, item *metempsychosim* (Ioseph. Antiq. XVIII, 1, 3, Matth. XIV, 2, XVI, 14, Io. IX, 2, 24), spirituum tum bonorum, tum malorum existentiam, denique Legis Mosaicae ritus vim iustificandi habere, et neminem Iudaeorum damnari posse (Ioseph. Bel. Iud. II, 814, Iustinus Dial. cum Tryph). Ad moralem vero doctrinam et praxim quod attinet, Pharisaei in multis peccabant, de quibus severe a Christo reprehensi sunt, scilicet Legi admiscebant traditiones humanas, easque plus aequo extollebant, et tamquam peccati reos traducebant qui eas negligerent (1), vel etiam per eas legis spiritum deprava-

(1) Ex. gr. non lotis manibus cibum sumere (Mat. XV), 2, 3, item alia enumerata Mar. VII, 3-7.

bant (1): morum sanctitatem affectabant, et exterioribus actibus aestimationem plebis sibi conciliare studebant Matth. VI, XXIII, 5, 14, 29; in Legis observantia multa rigide praecipiebant *alligantes onera importabilia*, et ipsi plura observabant, ut bis in hebdomada ieiunare (feria II et feria V), a peccatorum consortio et convivio abstinere, opera quaedam vitare die sabbati quae lege non vetantur etc. Simul tamen negligebant spiritum legis, et internam cordis munditiam, ac superbe ceteros despiciebant. (Mat. XV, 6, XXIII, 13-28).

II. *Sadducaei* altera erant Iudaeorum secta, a Phariseis in multis discrepans, iisque saepe infensa. Apud populum non bene audiebant ob erroneas doctrinas, et laxiora morum principia. Negabant scilicet existentiam angelorum, et omnium spirituum praeter Deum (Act. XXIII, 8); immortalitatem animorum (Ioseph. Bel. Iud. 11, 12); corporum resurrectionem (Mat. XXII, 23, Act. XXIII, 8); repudiabant omnes Doctorum, et Rabbiorum traditiones, et (iuxta Hieronymum comment. in Matth. XXII, 32) etiam Libros Prophetarum, quod tamen alii negant. Hinc Iosephus Flavus Antiq. Lib. XV, c. 10 n. 4 comparans Iudaeorum sectas cum Graecorum scholis non immerito confert Sadducaeos cum Epicuraeis, Phariseeos autem Stoicis, cum Pithagoricis demum Essenios.

III. *Essenii* (vel *Essaei*) et *Therapeutae* vix aliter ab invicem distinguebantur quam gente, ac patria: Therapeutae enim in Aegypto degebant, et graece loquebantur, Esseni vero in Palaestina, et dialectum Syro-Chaldaicam retinebant: ceterum in doctrina et in vitae ratione vix, aut ne vix quidem discrepabant. De his agit Philo in Lib. de *Vita Contemplativa*, et in Lib. *Quod omnis probus liber*.

Doctrina Esseniorum et Therapeutarum cum puriore doctrina Pharisaeorum speculativa conveniebat in admittenda scilicet Providentia Dei, immortalitate animarum, et corporum resurrectione: attamen visi sunt iuramentum reprobasse, et sacrificia cruenta.

(1) Ita praecipuum de honorandis parentibus depravabant subtrahentes illis auxilium, et opes quibus eos sustentare debissent, sub specie pietatis, scilicet consecrando seu vovendo illas Deo (Mat. XV, 3 seqq.) Item docebant non esse verum iuramentum iurare per templum, aut altare, sed iurare in auro templi, vel in dono altaris obligationem inducere (Mat. XXIII, 26-22).

Vitae autem genus ducebant contemplativum et monasticum; urbium rumores fugiebant vel in pagis habitantes, ut Essenii, vel omnino in sylvis, aut agris, ut Therapeutae; in precibus et piis lectionibus assidui erant, Scripturas mystice et allegorice passim exponebant, statis horis parcum in communi mensa cibum sumebant, coelibatum servabant, et licet Therapeutae puellas etiam in suam professionem reciperent, haec tamen virgines manebant, et separatae a viris degebant; bona etiam communia habebant; demum ad professionem sectae non admittebantur nisi post longam probationem. Haec ex Philone, et Iosepho (Antiq. XV, XVII, XVIII).

IV. *Herodiani* una cum Phariseis nominantur aliquando in Evangelii Mat. XXII, 16, Mar. III, 6, XII, 13; de iis loquitur etiam Epiphanius in *Panario* Haeres. XX; quae est VII Iudaismi. Quinam fuerint, et cuius professionis homines non una est eruditorum sententia. Alii cum laudato s. Epiphanio putant eos ita dictos fuisse quia crederent Herodem Magnum esse Messiam promissum; alii quod crederent Messiam esse Herodem tetrarcham, (ita Euthymius, Philastrius, Theophylactus). Verum probabilior est Hieronymi sententia, quam etiam recentiores plerique sequuntur, eos Herodianos appellatos eo quod contenderent Iudaeos Romanorum imperio subiectos esse oportere, et tributum Caesari solvendum esse, quod multi praesertim Pharisaeorum vel negabant, vel in dubium vocabant. (Hieron. in Mat. XXII): hoc enim ab Herode M. qui regnum a Romanis acceperat inductum fuerat. Ad hanc controversiam respicit locus Evangelii Mat. XXII, 17 seqq.

V. *Emenobabistae* ab Epiphanio nominantur op. cit. Lib. 1. haer. 17. Ita a Graecis nominati sunt, quod quotidianis corporis ablutionibus uterentur, fortasse ob exaggeratum munditiae legalis studium, vel quod mysterium in hoc latere existimarent.

De *Hellenistis* et de *Prosellythis* non est hic dicendi locus cum hi proprie sectas religiosas non constituerent.

CAPUT IV.

DE REBUS SACRIS

De sacris vasis ac utensilibus in capite I diximus, de sacris vestibus in capite praecedente. Nunc breviter dicendum de sacrificiis, de primitiis et decimis, ac de ritibus.

ARTICULUS I.

DE SACRIFICIIS VETERIS LEGIS

Cum res aliqua in obsequium Dei offertur simpliciter *oblatio* dicitur, cum vero etiam destruitur aut quomodocumque immutatur ad testandum supremum Dei super nos resque nostras dominium proprie *sacrificium* vocatur, quod proinde soli Deo offerri potest, et est supremus actus illius cultus qui latriae dicitur: haec offerendo speciales ministri destinantur, qui *sacerdotes* dicuntur, ita ut ideae sacerdotii et sacrificii correlativae sint. Hinc est quod Divina religio nunquam sine sacrificiis ac sacerdotibus extiterit. Et quidem sub lege naturae memorantur Sacrificia Abelis, Caini, Henoch, Noe, Melchisedech, Abraham et reliquorum Patriarcharum. In lege vero scripta, seu Mosaica, plura sacrificia in specie praecepta fuerunt, quorum pleraque describuntur in libro Levitici a cap. I, usque ad VI. Huiusmodi sacrificia alia erant cruenta, alia vero incruenta, rursus cruenta alia erant expiatoria, quae in Scripturis vocantur sacrificia *pro peccato*, alia vero Eucharistica quae *pacifica* dicebantur, rursus alia ex parte tantum igne comburebantur, ceterum in cibum tum offerentium, tum Sacerdotum cedebant, alia vero integra comburebantur, et ideo *holocausta* vocata sunt. Incruenta vero sacrificia in rebus inanimatis offerebantur, quorum etiam variae erant species. De his breviter dicendum, et primum quidem in genere, tum vero in specie, et postremo nonnulla de oblationibus ac votis.

§ 1. De Sacrificiis mosaicis generatim inspectis.

I. *Materia sacrificiorum* in lege praescripta erat, et pro cruentis quidem non quaelibet animalia, sed sequentes tantum species:

bos, ovis, capra, columba et turtur. Oportebat autem ut haec animalia integra essent et sine vitio, item nec octo diebus iuniora, nec triennio maiora, demum masculini sexus, exceptis volucribus, in quibus aetas et sexus non attendebatur. Generatim boves trimi immolabantur, oves vero et caprae anniculae. Pro sacrificiis vero ingruentis materia praescripta erat farina triticea, quae *simila* in Vulgata dicitur, panis triticeus, spicae hordeaceae, et vinum, praeter oleum, sal, et thus, quae in oblationibus saepe admiscenda erant. Mel et fermentum generatim a sacrificiis excludebantur, nec unquam altari imponenda erant (Lev. II, 10, 12).

II. *Locus sacrificiis offerendis* destinatus erat Tabernaculum, et deinde Templum, quod severe praecipitur Lev. XVII, 1-10, et Deut. XII, 13 seqq. sub mortis poena: ad hoc autem altare extractum erat in atrio ante ostium sanctuarii, quod quidem stabilitum est tum ad Hebraeos ab idololatria facilius arcendos, tum ad unitatem religionis et cultus significandam, et fovendam. Non desunt tamen exempla Prophetarum, qui extraordinaria quadam oeconomia sacrificia in aliis locis obtulerunt, ut ex. gr. Samuel in campo Bethlehem 1. Reg. XVI, 4-3, et Elias in monte Carmelo 3. Reg. XVII, 32 seqq.

III. *Ritus sacrificiorum* aliquando speciales erant pro variis victimis ac solemnitatibus. Generatim tamen in sacrificiis cruentis haec servanda erant. 1° Offerens victimam in atrio ante altare Domini praesentare debebat Lev. I, 3, III, 1, XVII, 4, 9. 2° Manum capiti victimae imponebat, vel si victima pro populo offerebatur, manus a senioribus nomine multitudinis imponebantur (Lev. 4, IV 13-13), quo significabatur victimas in locum offerentium substitui, qui etiam si pro peccato vel delicto victimam offerebant illud coram Sacerdote confiteri debebant. 3° Victima a Sacerdote regulariter offerenda erat, aut saltem Sacerdos sanguinem animalis cratere exceptum circa altare fundebat, et in die expiationis etiam in Sanctum Sanctorum inferebat, et aspergebat (Lev. I, 5, III, 3). 4° Levitae et Sacerdotes, detracta pelle victimae, eam dissecabant in partes, ex quibus in ordinariis sacrificiis renes tantum, et adeps intestinorum igne cremabantur, reliqua vero partim offerenti reddebantur, partim sacerdotibus cedebant, eaque in atrio vel in templo comedenda erant, in holocaustis vero integra victima igne con-

sumebatur (Ex. XXIX, 13, 22, Lev. III, 4, 1 Reg. 3-7). 3^o Victimae animalium generatim addenda erant farina triticea oleo, ac thure commixta, vel simpliciter coniuncta pro variis sacrificiis, ut legitur Num. XV, 3-12, XVIII, 7 seqq.

§ II. De Sacrificiis et oblationibus in specie.

I. *Holocausta.* Haec vox graeca significat ea sacrificia in quibus victima tota comburebatur, quae in textu hebraico dicuntur חֹלֵבֵי עֹלָה. Erant autem apud Hebraeos, quemadmodum et apud paganos, praecipua et maxima inter sacrificia (Lev. I, 3 seqq.). Horum multa praescripta erant in Lege Moysi, alia quidem quotidiana, alia statis temporibus offerenda, alia pro universo populo, alia pro privatis personis, quibus etiam integrum erat holocausta voluntaria offerre sive sponte, sive ex voto. 1^o Holocaustum quotidianum erant duo agni quotidie offerendi pro universo populo, alter mane ante quaelibet alia sacrificia, alter vespere post reliquorum oblationem. Ideo hoc holocaustum dicebatur *juge sacrificium*, vel *holocaustum perpetuum*. Cetera offerebantur variis temporibus, ut 2^o a Nazaraeis vel inopinato immunditiam contrahentibus, vel absoluto Nazaraeatus tempore (Num. VI, 11-16). 3^o Ab iis qui a lepra mundati fuerant (Lev. XIV, 20, XV, 15). 4^o A mulieribus in die purificationis (Lev. XII, 6 et 8); 5^o Pro peccato vel Summi Sacerdotis, vel populi, ut infra videbimus. Victima ad septentrionem altaris maclabatur, et sanguis circa basim altaris fundebatur, tum vero integra cum farina, et oleo altari superpositis cremabatur, quod tamen aliquando fiebat extra castra, vel urbem, ut in holocausto pro peccato Pontificis et pro peccato populi in die magno expiationis (Lev. XVI).

II. *Sacrificia pro peccato et pro delicto.* Haec duo distinguuntur in Scripturis, quamvis non clare pateat in quo haec distinctio collocanda sit. Victimae pro peccato, quae et ipsae peccatum חַטָּאתִים וּפְשָׁעִים vocabantur diversae erant pro personarum et peccatorum diversitate. Summus Sacerdos et populus immolabant iuvenem Lev. IV, 3 seqq. 13 seqq. Magistratus hircum ib. VI, 23; privati arietem, vel ovem ib. 27 seqq. Peccata vero seu delicta pro quibus haec sacrificia erant offerenda enumerantur Num. IV, 1-26, Lev. III, 1-16 V, 20-26 XIX, 20-22. Saepae tamen pro peccato intelligenda est tantum legalis immunditia: ita sacrificium pro peccato praescriptum erat puerperis, completis diebus 40 post nati-

vitatem filii, et 80 post filiae ortum, quae offerre debebant unum turtorem aut pullum columbae, et in holocaustum arietem, si vero pauperes essent alium turtorem, aut columbam Lev. XII, 6 seqq. Luc. II, 24. Leprosi sanatis offerendus erat hircus, aut ob paupertatem turtures, sive columbae Lev. XIV, 10-14; Nazaraeis inopinatae contaminatis turtur aut pullus columbarum Num. VI, 10 seqq. Hisce, ut diximus, alia addi poterant ob devotionem, aut poenitentiam praeter Legis praescriptum.

III. *Sacrificia eucharistica, seu pacifica.* Haec quidem offerebantur in gratiarum actionem ob accepta a Deo beneficia sive publica sive privata, vel ad nova beneficia a Deo impetranda. Victimae pacificae erant iuveni, vaccae, oves, agni, caprae et hirci. Horum pars cremabatur in altari, cetera ab offerentibus, et a Sacerdotibus comdebantur. Horum sacrificiorum descriptio habetur Lev. III. Sacrificiis pacificis accenseri quodammodo possunt sacrificia foederum, scilicet ad pacta firmanda oblata. Qui mos etiam paganis communis erat, unde ipsum nomen *foedus* deductum dicitur a foedis vulneribus victimarum, ut putat Servius ad Aeneidos lib. VIII, v. 641, hinc etiam latinorum dictio *foedus ferire, icere, percutere*, et similis graecorum ὀφθαλμοῦ τετρανῶν. Quare etiam *Antiquum foedus* inter Deum et populum hebraeorum initum sanguine victimarum confirmatum est per Moysen Ex. XXIV, 3-8 et *Novum foedus* ipsius Christi morte ac sanguine sancitum est. Huiusmodi sacrificia occurrunt in historia Abrahami Gen. XV, 8-9, 17, 18, Gen. XXI, 24, et serius in historia Sedeciae regis Ier. XXXIV, 18 seqq. et alibi.

IV. *Sacrificia incuruenta.* Praeter farinam, oleum, et thus, quae solebant cum victimis offerri, speciatim ad sacrificia incuruenta pertinebant. 1^o Duodecim panes propositionis singulis sabbatis oblati Lev. XXIV, 5-9, qui a solis sacerdotibus comedi poterant in sanctuario. 2^o Manipulus hordei qui in secundo die Paschatis offerebatur Lev. XXIII, 10. 3^o Primitiae panum in die Pentecostes ib. 17-20. 4^o Farina a pauperibus in sacrificium pro delicto offerenda Lev. V, 11-13. 5^o Libamen, seu oblatio et effusio vini circa basim altaris (Num. XV, 28 Ios. Antiq. III, cap. 9 seqq.).

ARTICULUS II.

DE PRIMITIIS DECIMIS AC VOTIS

Primitiarum ac decimarum oblatio in honorem Dei, ipsa natura dictante, apud veteres populos in usu erat. Apud Hebraeos autem haec lege determinata ac praescripta fuerunt, et sub generico nomine *oblationum* designari possunt.

I. *Primitiae* dicuntur primi fructus vel prima oblatio novorum fructuum Deo facta. Porro Hebraei Deo offerre debebant 1° Primogenita animalium, imo et hominum primogenitos (Num. XVIII, 15-18, Lev. XXVII, 26-29). Ad homines quod attinet primogeniti masculini sexus Deo offerendi erant, quod plerumque in purificatione matris, exacto die quadagesimo, fiebat, qui tamen statim redimebantur oblato sacerdotibus pretio, quod quinque siclos excedere non poterat (Ex. XIII, 2, 13). Primogenita boum, caprarum et ovium in sacrificium offerenda erant ab octavo die usque ad annum aetatis, et ex eis praefinitae partes cremabantur, reliquae vero sacerdotibus cedebant. Aliorum vero animalium primogenita vel pretio redimenda erant, vel agno aut ove permutanda, vel occidenda. 2° Primus hordei manipulus altero die paschatis, et primi panes die Pentecoste offerendi nomine populi, ut supra vidimus. 3° Primitiae uvae, fructuum arborum, cerealium, mellis et vellerum a singulis Iudaeis offerendae erant. Omnes hae primitiae in manibus Sacerdotum solvebantur, sive in Templo, ut plerique existimant, sive, ut multi volunt, ubicumque sacerdotes occurrerent, cum rationem sacrificii non haberent.

II. *Decimae*, seu decima pars fructuum ab Hebraeis solvendae erant ad ministrorum sustentationem, et divini cultus conservationem (Lev. XXVII, 30 seqq. Num. XVIII, 28-30): simul tamen ut oblationes sacrae habendae sunt, quia in Dei honorem offerebantur, ut expresse dicitur loc. cit. Decimae Levitis tradendae erant, quibus ipse Deus decimas assignaverat loco possessionum quae aliis tribubus fuerant concessae (Num. XIV, 29). Ex his vero Levitae rursus decimam partem Sacerdotibus tradere debebant. Res autem decimandae erant tum fructus arborum, ac terrae fruges, tum domestica animalia, scilicet boves, et caprae. Porro haec ita

decimari debebant: singula ante pastorem transire per ordinem cogebantur, qui decimum quodque caput virga tangebatur, quod illico in decimam Domino separandum erat, sive bonum sive malum esset, nec cum alio commutari poterat, secus utrumque Levitis cedebat (Num. XXVII, 32-33). Decimae fructuum ac frugum redimi poterant, soluto nempe pretio et quinta pretii parte addita (ib. 31) (1).

III. *Vota* נָדָרִים, נְדָרִים dicebantur ea quae praeter legis praescriptum Deo promittebantur. Poterant autem voveri vel personae, vel animalia, aut res inanimatae, aut actiones quaedam sive ponendae, sive omittendae. Generatim vero res ita consecratae pretio redimi poterant, exceptis tamen animalibus sacrificio idoneis, quae omnino mactanda erant, et iis rebus quae devotae fuerant per *Therem* seu *anathema*. Si quis se ipsum, vel alium voto vovisset Tabernaculi aut templi servitio mancipatus erat donec redimeretur. De voto Nazaraeorum superius diximus.

His addi possent preces publicae, et generatim alii *sacri ritus* legis Mosaicae. Sed quoniam haec maxima ex parte indicata fuerunt ubi de sacrificiis, vel de locis sacris tractavimus, alia vero, ut ex. gr. circumcisio, omnibus nota sint, de his speciatim agere praetermittimus.

SECTIO III.

DE ANTIQUITATIBUS POLITICIS (2).

Breviter dicemus 1° de republica hebraeorum eiusque indole generatim, ubi de regibus, eorum ministris, et de aliis magistratibus, 2° de iudiciis ac de iure poenali, 3° de re militari hebraeorum, 4° de monetis, ponderibus ac mensuris, quae cum sociali populorum vita intime connectuntur.

(1) Decimarum solutio haud primo per legem Moysi inducta est: antea enim sub lege naturae videmus Abraham decimam de praeda Melchisedechi sacerdoti obtulisse (Gen. XIV, 20), et Iacob Decimas omnium proventuum suorum Deo vovisse, Gen. XXVIII, 22, idque eius quoque posteros servasse Gen. XXXV, 1-16. Quin imo et apud ethnicos hoc in more positum fuisse tradunt Herodotus hist. lib. I, cap. 5 et 77 et Diodorus Sic. lib. XX, cap. 14.

(2) Cf. imprimis Io. Menochium: *De republica Hebraeorum*.

Vol. III. Introductio Exegetica.